



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

De Synodo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

& hæc est doctrina communis, tã Scholasticorũ. in 4. sent. dist. 17. & Summarum, præsertim Sylu. v. confessor. 1. q. 19. Victor. de confess. à num. 149. Nau. in man. cap. 26. num. 6. Suarez. loc. cit. disp. 31. sect. 1. de seq. Zecchus de cas. re-

ser. obseru. 4. Capeauil. de casib. referu. c. 9. q. vii. Et creditur poenitenti assenti prædictam facultatem sibi ab Episcopo fuisse concessam. per not. gl. in Clem. 1. v. non habita. de priuil. & Abb. in Clem. 1. num. 28. de pœnis.

CAPVT SECVNDVM.

De Iurisdictione Episcopi in celebranda Synodo.

Ordinem propositum sequentes, videamus alteram partem iurisdictionis Episcopalis, quæ est fori iudicialis contentiosi, ut eam vocat Abb. in cap. accepta. num. 8. de restitut. spol. Quam quoniam multipliciter exerceri contingit, aliquando enim Iudex ex officio suo per inquisitionem vel denunciationem crimina inuestigat, quod iudicium extraordinarium dici posset. vt gl. in cap. quoniam v. extraordinario. de probat. Abb. ib. num. 7. aliquando instante auctore contra reum iudicialibus terminis seruatis procedit, ordinarium hoc dici potest. vt Marant. de ord. iud. p. 4. dist. 9. num. 1. Nos quoque ad subdiuisionem huiusmodi nostrum tractatum reducemus, & pro resolutione prioris membri iurisdictionis, de Synodo & de Visitationibus pauca eaq; in praxi sæpius occurrentia referemus, postmodum forensia tractaturi.

ARTICVLVS I.

De modo conuocandi Synodum.

- 1 Synodus Diocesana singulis annis celebranda.
- 2 Synodo qui tenentur interesse.
- 3 Regulares quando tenentur venire ad Synodum.
- 4 Capitulum Ecclesie Episcopi Cathedralis de necessitate vacandum ad Synodum.
- 5 Capitulum Collegiate quando vocandum ad Synodum.
- 6 Laici ad Synodum an vocandi.
- 7 Abbates quem locum habere debeant in Synodo.
- 8 Episcopus in prima sua Synodo debet facere professionem fidei.
- 9 Synodales testes qui sint.
- 10 Examinatores promouendorum ad beneficia in Synodo eligendi.
- 11 Seminariorum rationes in Synodo audienda.
- 12 Seminarium erigi debet per Episcopum & quomodo.

AD

AD occurrendum Ecclesiarum incommodis indies nascentibus, & ad mores Cleri reformandos, controuersias componendas, salubriter ordinarunt Canones Sacri, vt quilibet Episcopus in sua Diocesi semel in anno Synodum conuocet. *cap. quoniam. 18. dist. Conc. Trid. sess. 24. cap. 2. de ref.* Et si iusto aliquo impedimento detineretur, ad minus deberet deputare aliquem in dignitate Ecclesiastica constitutum, qui loco ipsius Synodum celebraret & in illa præsideret. *arg. tex. c. Episcopus. 1. dist. cit.* negligens autem celebrare Synodum, poenam suspensionis per duos menses sustinere deberet. *cap. vlt. dist. cit.*

Modus autem ipsius celebrandæ est. Vt in primis moneantur omnes qui interesse Synodo tenentur, circumlato processu intimatorio de loco & tempore celebrandæ Synod. *c. propter Ecclesiasticas. iun. gl. dist. cit. c. vlt. de his quæ fiunt à præl.* sufficit autem vnica monitio licet iudicialibus trina requiratur. *vt notat. gl. inc. si Episcopus. cit. dist. 18.*

Tenantur autem de iure venire ad Synodum. Primo Abbates si sit consuetudo, & si propter aliquam causam fuerint vocati. *cap. decernimus. 18. dist. cit. cap. Abbates 18. quest. 2. cap. ex ore. de priuil. cap. vt Apostolica. eo. tit. in 6.* Et ratione Capellarum seu Ecclesiarum Baptismalium, si quas habent sibi subiectas, vel saltem mittere debent Capellanos qui illas administrant. *Abb. in cap. quod super. de maior. & obed.* Et si citentur, seu contra illos querelæ proponantur in casibus in quibus contra ipsos procedere potest Episcopus iurisdictione ordinaria vel delegata. *cit. cap. propter Ecclesiasticas. 18. dist.*

Eodem modo tenentur venire ad Synodum Monachi curam animarum ex-

ercentes, vel Capellas obtinentes. *Conc. loc. citat.* alij autem Monachi & Prælati, præsertim mendicantes, quorum Ecclesijs nulla cura animarum est adnexa, venire non tenentur. *Felin. in cit. cap. quod super. num. 1.*

Sæculares item Clerici Capellas vel beneficia curata obtinentes, venire tenentur ad Synodum: & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis de necessitate debet inuitari. *cap. vlt. de his quæ fiunt. à præl. Abb. ib. num. 4.* Imo sine ipsius consilio non debet Synodus conuocari. *Innoc. in cap. nisi. de auth. & vsu pall. Aemil. Verul. decis. 305. p. 1.* potest tamen comparere per nuncios seu aliquos deputatos ex gremio Capituli, non autem omnes ex Capitulo venire debent, sed pars in seruitio Ecclesiæ manere, vt declarauit S. Cong. Episcoporum Vicario Vercellen. 10. April. 1594.

Habet autem Capitulum in Synodo vocem consultiuam, decisiuam vero nõ nisi sede vacante, nam tum succedit in iurisdictione integra, & potest condere statuta. *Felin. de sent. allegatus ab omnibus. conf. 16. Abb. in cap. cum olim. num. 2. de maior. & obed. Felin. in cap. cum omnes. lect. 2. num. 28. de constit. Dom. in cap. vn. eo. tit. in 6. Pauin. de potest. Cap. p. 1. quest. 6.* licet non in præiudicium futuri Episcopi, sicut nec Antecessor Episcopus potest facere statuta in præiudicium successoris. *cap. innotuit de elect. cum par in parem non habeat potestatem, & successor in Episcopatu statuta antecessorum reuocare possit. Abb. loc. cit. & in cap. cum accessissent. num. 3. de constit. Dec. in cap. Canonum statuta in 1. lect. num. 55. eo. loc. nisi fuerint confirmata per superiorum, vel iuramento firmata, & concernant bonum publicum, per ea quæ dicit Abb. in c. 2. num. 1. & 6. de maior. & obed.*

obed. & in cap. cum accessissent. num. 2. in cap. cum. M. nu. 6. de constit. & in cap. 1. num. 4. de locat. Bald. in auth. hodie C. de iudic.

5. Capitula etiam collegiatarum Ecclesiarum vocanda esse ad Synodum declaravit S. Congreg. Conc. ut testatur Quarant. in sum. Bull. v. concilium. quæro. 4. & legitur talis declaratio.

Cong. Cōc. censuit Capitula Collegiatarum quasi Episcopalem iurisdictionem habentia ad Synodum esse vocanda.

Et non solum Diocelani, sed etiam alij nullius Diocesis ad Synodum vicinioris Episcopi quem semel elegerint tenentur venire. Conc. Trid. loc. cit. sup.

6. Laici etiam ad Synodum invitari possunt, si de eorum præiudicio agatur: ut si tractetur quid circa fidem. c. vbinam. 96. dist. vel circa matrimonia. cap. ad sedem. 35. quæst. 5. aderunt tamen in Synodo non ut doceant vel iudicent, sed ut audiant. gl. in cap. vlt. v. contingere. de his qua fiunt à prel.

Temporis autem ratio & loci attendenda est, nimirum ut non celebretur Synodus tempore quo ieiunij & devotionibus seu peragendis solemnitatibus præcipuarum festiuitatum est vacandū: neq; graui hyeme & temporibus ad iterandum periculosis. & ut peragatur in loco proportionato ad omnes qui venire debent, ne aliqui nimio itinere fatigentur. Archid. Card. Alex. in cit. cap. quoniam dist. 18.

Die autem præfixa & domo sua Clero comitante Campanis & Organo sonantibus in Ecclesiam descendit Episcopus, ibiq; de S. Spiritu Missa peracta & orationibus ut in Pontificali Romano ordinantur recitatis, ad vigilantiam circa cultum Diuinum, Synodumque cum fructu & utilitate celebrandam, Clerum exhortatur Episcopus ipsemet, vel

per Oratorem Theologum.

Legit deinde Notarius Episcopi omnium Synodo interesse obligatorum nomina, qui singuli vocati respondentes, adsum, accedere debent ad osculum manus Episcopi, in signum obedientiæ quæ ipsi reddere tenentur. cap. quod super. cit. de maior. & obed.

Capiunt postmodum sua loca quisq; secundum gradus sui præminentiam, & si quidem plures Episcopos simul adesse contigerit, secundum prius consecrationis suæ tempus quisq; priorem capiet locum. cap. vlt. 17. dist. Præsident tamen Synodo non attento consecrationis suæ tempore, priorem obtinere debet locum, & ille qui Sedis Apost. priuilegio super hoc fuerit munitus, ut notat. gl. loc. cit. Canonici autem Cathedralis Ecclesie Capitulariter sedentes seu eorum Nuncij repræsentantes Capitulum, præcedunt Abbates. Felin. in c. Pastoralis. nu. 9. de offi. deleg. Imo quod omnes Clerici sæculares debeant præcedere Regulares, tenet Gemin. & Card. Alex. cit. c. fin. 17. dist. & cæterum Clericorum sæcularium esse nobiliorem cætu Monachorum. notat gl. fin. in cap. qualiter & quando. de accusat. Boer. de author. mag. conf. num. 14. Locus autem prior censetur à dextris quam à sinistris. gl. in l. decernimus. C. de Sacris Eccles. Felin. in cap. per tuas. de maior. & obed. Clem. Bott. de Synod. p. 3. n. 17. Cautius etiam promulgatur decretum quo cauetur nullius præcedentiæ præiudicari, licet fortè non suo loco nominetur vel collocetur. exemplo Conc. Trid. circa finem. sess. 25.

Et circa præcedentiam huiusmodi declarationes Greg. XIII. factas ad petitionem Conc. prouincialis Rothomagen. hic subiungere placuit, ea enim omnia aliquando etiã ad Synodum Diocelana accom-

accommodari possunt. & sequitur relata apud Genuen. in prax. c. 89. his verbis.

Primo in actibus Conciliorum Prouincialium attendendum esse tempus ordinationis Episcoporum, non autem dignitatem aut ordinem Ecclesiarum.

Secundo Commendatarios inter Abbates recipiendos esse.

Tertio Canonicos Cathedralium Ecclesiarum preferendos esse quando Capitulariter procedunt: Abbates benedictos & qui usum mitra habent, precedere commendatarios, post hos locum obtinere dignitates, postea collocandos esse procuratores.

Quarto non teneri nisi eos qui de iure vel consuetudine interesse debent, Capitula tamen Ecclesiarum Cathedralium specialiter inuitanda esse: obligari autem ad decreta Conc. Prouincialis omnes, qui Episcoporum iurisdictioni subduntur, exemptos etiam in casibus in quibus de iure communi & Conc. Trid. specialiter Episcopis aut Concilio Prouinciali in ipsos potestas tributa est, & contra inobedientes iuris remedijs procedendum.

Quinto Abbates, Commendatarios, Capitulorum deputatos, vocem duntaxat consultiuam habere, Episcoporum procuratores posse, si Conc. Prouinciali placuerit & decisiuam habere.

Haec tenus verba declarationum. Quod autem sequitur in Synodo peragenda, est quod inhiberi solet sub poena excommunicationis ne quis illicitatus discedere audeat, nisi finita Synodo & benedictione accepta. Eligendi deinde insigniores Theologi seu Iurisperiti pro consiliarijs quibus dat Episcopus vocem consultiuam, & si velit etiam decisiuam; Eligitur & Secretarius, Notarius Syno-

di, quem ordinem colligit ex diuersis Concilijs. Mich. Thomasius in suo tract. de ratione Synodi.

His temporibus plerisque locis laudabiliter quoque seruatur quod in principio Synodi legitur professio fidei iuxta praescriptum Bullae Pij IV. incip. Iniunctum. & ea lecta, Episcopus si primam Synodum post suam promotionem celebrat, clara & intelligibili voce S. Fidem Catholicam iuxta normam ipsius Bullae se tenere profiteretur, damnatque & anathematizat Haereses ab Ecclesia damnatas: quod & in Synodo Prouinciali cui adest prima vice post suam promotionem facere tenetur. Similiter & Clerici omnes beneficia Ecclesiastica obtinentes, & qui in Synodo interesse debent, in prima quaque Synodo post suam promotionem, fidei professionem emitte-re obligantur. Conc. Trid. cit. sess. 25. cap. 2. de ref.

Faciunt deinde suas relationes testes Synodales, aliter vocantur denunciatores. vt Felin. in cap. sicut olim. de accusat. isti enim per Dioecesim haberi debent viri prudentes & fide digni, qui si viderint aliquid in Dioecesi corrigendum, referant in Synodo. c. Episcopus. in fin. 35. q. 6. & DD. communiter. in cit. c. sicut olim. Vltus tamen eorum interijt, sed illorum loco, Episcopi fiscales sibi creare consueuerunt, vt refert. Diaz. in sua prax. crim. cap. 4. vbi dicit fiscales istos debere esse Clericos & iurare de fideliter administrando officio. alibi vidi constitui Decanos Rurales, quorum quisque in proprio Decanatu sibi assignato aduertit defectus Ecclesiarum & refert officio Episcopi. vel prudentia Episcopi diuersus in diuersis locis tenetur modus inquirendi & corrigendi vitia subiectorum.

Datur etiam in Synodo locus omnibus

bus proponendi suarum Ecclesiarum necessitates, vel querelas quas habent ad inuicem, & accusati si adsint tenentur respondere, licet non fuerint citati: habent tamen ius reuocandi domum si conueniantur actionibus realibus seu civilibus. Imò etiam si fuerint actiones personales, non tamen notoriæ, & de quibus euidenter conuinci non possent, adhuc possent prouocare domum, nisi fuerint causæ de sui natura Synodales, & in Synodo tractandæ. *Card. Zab. in c. graue de prob.*

10. Eligantur subsequenter ad minus sex Examinatores, qui promouendos ad beneficia curata examinent, sui que officij rationem in Synodo de præterito reddant, & ibidem puniantur si deprehendantur deliquisse circa huiusmodi officium *Conc. Trid. cit. sess. 24. c. 18. de ref.* De modo autem faciendæ huiusmodi electionis extat rescriptum S. Cong. Cõc. ad Patriarcham Venetiarum *vt sequitur.*

*Illustrissime & Reuerendiss. Domine vti Frater. Ampli. tua super examinatio-
rius in Synodo approbandis, sic respondit
Cong. S. Trid. Conc. interpretum, nempe,
examinatores qui ab Ampli. tua propositi
fuerint, à Synodo tam per vota secreta,
quam aperta posse probari, itaque Ampli.
tua eum modum in probatione seruari fa-
ciat, quem magis expedire iudicauerit.
quod reliquum est, Deum illi quam beneficentis-
simum precamur. Roma die 11. Iulij. 1592.*

Vti Frater.

Hier. Card. Mattheus.

Assignantur & personæ ad id aptæ ad minus quatuor quibus causæ in partibus delegandæ committantur, quorum si aliquis decesserit, Episcopus de consilio Capituli in locum ipsius alium sufficere potest vsq; ad proximam Synodum. *cit. Conc. Trid. sess. 25. c. 10. de ref.*

In Synodo quoque audiendæ sunt rationes redituum seminarij per quatuor deputatos, quorum duo ex Capitulo, vnus ab iplo Capitulo, alter ab Episcopo electus, duo alij ex Clero, vnus similiter electus à Clero, alter ab Episcopo esse debet. Defectus etiam seminarij ibidem corrigendi sunt: vbi vero nondum fuerit erectum seminarium, vel non sit sufficienter prouisum, elaborandū est Episcopo, vt quâprimum erigatur, vel competenter prouideatur, alioquin à Synodo Prouinciali, vel ab Archiepiscopo iuris remedijs ad hoc compelli possit. *cit. Conc. sess. 25. c. 18. de ref.*

12. Erigi autem debet & dotari ex fructibus quorumcunq; beneficiorum Diocesis etiam Abbatiarum, Prioratum, Regularium non mendicantium, & cuiuslibet beneficio pro qualitate redituū cuiusque imponere potest Episcopus certam quotam pro seminario soluendam. Dummodo eam imponat beneficijs habentibus suos fructus in bonis certis & stabilibus, nam vbi fructus in incerto, vt in Eleemosynis piorum vel similibus consisterent, nihil posset illis oneris ratione seminarij imponi, vt respondit S. Cong. Conc. Episcopo Tridentino die 13. May. 1585.

Publicantur præterea in Synodo decreta Prouincialis Synodi, & aliqua insigniora Capitula generalis Synodi proximo præteritæ prælegenda sunt, præcipue de residentia curatorum, de vitæ honestate à Clero tenenda, de obseruandis circa Diuinorum, vel Matrimoniorum celebrationem, aliaque vtiliora, pro loci & temporis exigentia. *cap. vit. 18. dist. cap. sicut olim. de accusat. & de ordine tenendo in Synodo Episcopali, consuli etiam potest Henr. Bott. in suo tract. de Synodo Episc. sup. cit.*

ARTI-